

graphicis peccari insigniter circa fines Germaniæ Occidentem versus; mox enim Montispeligardum, mox Episcopatum Basileensem, mox alias Terras Galliae Provinciis annumerant, mox Sundgovia & Alsatia partem Germanorum Regno iungunt, mox Terras diversorum Statuum Lotharingia atque Territoriis Episcopatum Metensis, Tulensis & Virodunensis immixtas cum his ipsis (& vicissim,) misere confundunt, sic & Meridiem versus Sabaudiam vix ullus Geographorum Germaniæ adscribit, ut de Curienti Episcopo, deque finibus Sueviae, qua Helvetiae contigua est, nihil dicamus &c.

§. III.

De Terris
Germanicis de facto
per Gallos
detentis
summa-
tim.

Porro nec id nostri esse instituti iudicamus, ut inquiramus, quænam sint istæ ditiones de Iure Iuris Germanici, de facto Gallici, de quibus in Placito Ordinum Imperii d. d. 1734. 26. Febr. (1) hæc habentur: „In reisser Erwägung, daß die Cron Frankreich, wieder die Münster-Osnabrück-Nimweg-Ryswick- und nunmehr Baadischen Friedens-Schlüsse so viele unzählliche Contraventiones, Infractions und gewaltthätige Detentiones so vieler zu restituiren habenden ansehnlichen Reichs-Lande, Städte und sonst ohne Scheu begangen. Unicum rei Specimen allegasse sufficiat. Pace Ryswicensi art. 13. statuitur: „Restituantur quoque (Duces Würtembergici) in plenariam & liberam possessionem tam Feudorum suorum Burgundicorum Clerual & Passavant, quam Dynastiarum Granges, Hericourt, Blamont, Chatelot & Clermont &c., restitutæ quoque vi huius Pacificationis sunt a Gallis modo dictæ Dynastiæ, at mox altero Anno iterum per Sententiam Curia Vefontinæ Fisco Gallico adiudicatæ armisque occupatæ, frustra reluctantibus, causamque suam & in Comitibus Imperii & apud Ordines Generales foederati Belgii pero-

1) Vid. PRAESIDIS Reichs-Fama Tom. 18. p. 160.